PS. EUSEBIUS CREMONENSIS. PS. AUGUSTINUS. PS. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Salzburg, 1470 Seite 132v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8135
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Incipit liber Secundus. Ratio:

Queso te anima. obsecro te. Imploro te. ne quid ultra leuiter agas ne quid inconsulte geras. ne temere aliquid facias. Ne repetatur malum. Ne renascatur peccatum. ne crescat iniquitas. Ne recurrat malicia ne denuo exoriatur nequicia ne resumat iniustitia vires. Scito homo temetipsum. Scito quid sis. Scito cur ortus sis. Quare natus sis in quem usum genitus sis. Quare sis factus. qua condicione sis editus. Ad quam rem sis in seculo procreatus. memento condicionis tue. Esto quod factus sis. qualem te deus fecit qualem te factor condidit qualem te creator instituit. Serua rectam fidem. tene sinceram fidem custodi intemeratam fidem. maneat in te recta fides. Sit in te incorrupta fides confessionis. Nulla te insipiens doctrina decipiat nulla religio peruersa corrumpatur. Nulla prauitas a fidei societate auertat. Nihil temere de christo loquaris. Nihil de deo prauum uel impium sencias nihil peruerse senciendo in dilectione eius offendas. Esto in fide iustus. habeto in fide recta conuersacionem sanctam. Quem inuocas fide non abneges opere. Ab omnibus que lex uetat